



1790

DE
P L A N T I S
S E G E T I I N F E S T I S
PART. II. SPECIALIS SECT. I.

Q V A M
P R A E S I D E
D. GEORGIO RVDOLPHO BOEHMERO
THERAPIAE PROF. PVBL. ORD. ACADEMIAE SENIORE
PHYS. PROVINC. SOC. OEC. LIPS. SODAL.
ET H. T. ACAD. RECTORE

P R O G R A D V D O C T O R I S
DIE XXV. M E N S. IANVARII MDCCCLXXX
H. L. Q. C.

F V R L I C E D E F E N D E T
CAROLVS GOTTFRIED BAVERNSTEIN
ZWICKAVIENSIS
MEDICINAE CANDIDATVS.

V I T E M B E R G A E
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.



P A R T . I I . S P E C I A L I S

S E C T . I .

RADICE INFESTAE PLANTAE.

§. I.

Plantarum, inter segetes crescentium, non vnam esse eamdemque, sed variam admodum nocendi virtutem, eamque partim a Radice, partim ab Herba, partim denique a Semine produci, Parte Priori in genere notauiimus, atque nunc, quibus praecipue modis notatae earum partes infestae esse solent cerealibus, speciatim declarare debemus; licet certo respectu omnes inter se conueniant et in omnibus una inprimis pars, semen scilicet, vel in agris relictum, vel iisdem aliunde inspersum, tanquam fons omnium malorum accusari possit. Verum enim vero semina, nisi progerminent, detrimentum

A

agro

❧ ❧ ❧

agro nullum inferunt, hinc ad ipsam inde enatam plantam potius respiciendum et quatenus illa nunc hac, nunc alia sui parte eiusdemque varia proprietate noceat, exponendum erit. Sit itaque Radix ea pars, quam primo loco considereremus. Omnes quidem plantae hac ipsa praecipue parte pabulares succos attrahunt, illosque cerealibus subtrahunt, et propterea segetibus in primis infestae sunt, ceu superius^{a)} iam notauimus; attamen nullo habito respectu ad radicem, herba quoque et semen diuersis modis detrimentum inferunt, et singularem considerationem desiderant. Harum porro plantarum radices, cum admodum diuersae deprehendantur, et non solum duratione, sed aliis quoque proprietatibus inter se differant, diuersis etiam modis noxam inferre solent. Tres autem praecipue species distinguere, et annuas, perennes, ac parasiticas seorsim considerare, et cuilibet quasi proprium nocendi modum exponere, constituimus.

S. II.

Annua radix, qualem plurimae inter segetes sponte crescentes plantae ostendunt, maius minusque detrimentum inferre debet, prout illa partim, vel per unum modo, vel plures menses perdurat, partim fibris suis nunc lateraliter, et in superficie quasi terrae excurrit, nunc altius descendit, partim denique, quatenus enata inde herba copiosior, aut parciore succo scatet, minusque, aut amplius spatium occupat. Plantas, quarum caulis admodum ramosus existit et herbam admodum succulentam possidet, ideoque herba potius, quam radice pabulum consumat, prout et eas, quae radices altius dimittunt, ad sequentem tractationem amandare, et nunc tantum modo eas nominare voluimus, quae radice sola, succos consumendo, damnum inferunt. Annua autem licet

^{a)} Vide Part. I. pagina 16 et 20.

Icet Radix dicatur, ratione durationis tamen differt; nonnullae enim cito et intra paukas saepe septimanas vegetationem absoluunt, et facile eadem aestate de novo progerminant, ideoque certum floredi fructumque ferendi tempus^{b)} non admittunt, aliae vero lentius increscunt, et nunc citius, nunc tardius semina quidem spargunt, sequenti autem anno demum ex semine propullulant; priores, licet plerumque minorem ac sicciorum habitum ostendant, segeti longe magis infestas esse debere illis, quae quotannis vna tantum modo vice vegetant, facile apparebit, accedit, quod etiam illarum, quae breuissimo temporis spatio vitam absoluunt, radicales fibrae ut plurimum horizontaliter quasi excurrant, quodque idem ac cerealium radices terrae stratum occupent, et sic terrestre pabulum, ad earum incrementum necessarium, consumant, humiliori etiam sua statura, foliisque in superficie terrae expansis, aere; alimenti virtutem imminuant. Eiusmodi praeterea plantae cum cerealibus non metuntur, et cum stramine commiscentur, sed potius in agro persistunt, eundemque continuata vegetatione magis magisque exhaustiunt. ^{c)} Plurimae quoque pabulum animalibus minus aptum praebent, et vel ab illis auer-

A 2

santur

b) Plurimae plantae, vti notum, certo florere solent tempore, atque hoc tempus cum tempore febrium satis apte comparauit SYDENHAMIVS, quarum materia nunc unum, nunc duos, nunc tres dies exigit, prius quam ad maturitatem perueniat, nouunque paroxysmum excitet. Quaerens: *Cur Equus ad æquum suam perueniat septem annorum spatio, homo vigesimo primo, cur in plantarum regno haec Maio, alia Iunio, ista alio florere soleat?* addit: *haec ego plane me nescire fateor.* Vid. Eius Observat. de morbis acutis. Cap. V. edit. Lond. 1676. p. 75.

c) Videri quidem posset, ac si eiusmodi humiliiores, aridae magis, quam succulentæ, plantae copiosiori aliimento non indigeant; contrarium vero elucescit, si cum iisdem succulentarum vegetationem comparemus. Rapa semina eidem frequenter agro, in quo cerealium melius modo finita fuit, committuntur, et eius crassa satis et aquosa fere radix tantum vix consumit nutrimentum, quantum per relicas ibidem plantulas absorptum fuisset. De spergula in specie scribit EHRHARTVS: *Einige haben dagegen für*



santur, vel devoratae noxam inferunt. Medicatam virtutem vix vlla possidet. Ex numero Plantarum Part. I. recensitarum hue referri debent:

Veronica agrestis. Ackerehrenpreis, Hühnerdarm, blauer Vogelmeyer, floret a Martio ad Sept. Planta decumbens, digitalis, quandoque palmaris.

Veronica arvensis. Feldehrenpreis. Idem florendi tempus. Caulis decumbens, aut erectus, vncialis, digitalis.

Valerianae Locustae var. *Olitoria.* Rapunzel, Feldkrapp, Acker- oder Feldsalat, Nüßchensalat, Lämmersalat, Lämmerlattich, Sonnenwirbel, Redkresse, Fettkausch, Nösselchenkraut, Schafsmäuler. Floret Martio ad Iunium, immo citius, quia et saepe biennis euadit, autumno progerminat, ac folia per hyemem censeruat. Caulis erectus, digitalis, palmaris; folia radicalia in cespitem congesta, quae frequenter acetaria ingrediuntur.

Holosteum umbellatum. Nägeleinras, Ackernägelras, Blumengras, Fluchtkraut, Spuere, Spurre. Floret Martio, April semina maturat Maio. Folia radic. in rosulam disposita, caulis decumbens ascendit ab vnciali ad digitalem altitudinem. Vernali tempore ouibus gratum praebet pabulum.

Sherardia arvensis. Ackersternkraut, kleine Röthe. Iul. Aug. Caulis erectus, saepe decumbens, digitalis et longior. Oues non deuorant.

Afpe

für gehalten, daß die Felder dadurch nicht ausgesogen würden, allein angestellte Versuche haben gar leicht gewiesen, daß man zu viel Röhmens davon gemacht; denn die in Schlesien damit angehäuften Brachfelder sind durch diese schnell wachsende Pflanze mehr ausgeogen worden, und haben im folgenden Jahre schlechtere Kornsaat gegeben, als selbst diejenigen, welche zu gleicher Zeit mit Rüben bejetzt gewesen. S. Oekon. Pflanzenhistorie VI. Th. p. 277. Melembryanthema, Aloes et aliae succulentae calidarum regionum plantae nonnisi in arenoso solo laete crescunt.

Asperula arvensis. Ackerwaldmeister, Ackermeyerkraut, blaue Herzfreude, Brännewurzel. Fl. Maio, Caulis erectus pedalis.

Aphanes arvensis. Kleine Nadelmöhren, kleiner Nadelkörfel, Ohmkraut, Ackersinnau, kleiner Steinbrech. Perce pier Anglorum. Floret a Maio ad Nou. Cauliculi procumbentes, aut erecti, duas vncias longi et paulo longiores. Virtus lithontripica falso eidem adscripta. LINNAEVS et cum Eo fere omnes quatuor stamina, duos styllos, totidemque semina numerant. SCHKVHRIUS vero noster, *avtobiographia Botanicus*, in primo Fasciculo des Botanischen Handbuches p. 87. hunc partium numerum nunquam inuenit, sed filamentum vnicum, calicis margini insertum et anthera reniformi praeditum, stylumque vnum incurvato sfigmate finitum vnicumque semen obseruavit et delineauit. Ad monandrias monogynias Aphanem quoque reduxit TIMMIVS in Florae Megapolitanae Prodromo p. 1. prodiit ille Lips. 1788 SCHKVHRII Fasciculus autem prius an. 1786 vel 87. stylum vnum et semen vnum, nunquam duo inuenerunt LEERS et MOENCH. vid. Lin. Syst. Plant. edit. Reichardi P. I. p. 350.

Myosotis scorpioides arvensis. Vergissmeinnicht, blauer Autgentrost, blaues Mausöhrlein, Ackermausöhrlein, Rauchmäuseföhr, blaue Leichte, Susannenkraut, Krötenäugel, Fischäugel. Fl. Mai. Jun. Iul. Radix fibrosa caulinos emittit plures palmares, raro pedales. Planta a pecoribus non editur.

Lithospermum arvense. Schwarzer Steinhirse, wilder Steinhirse oder Steinsaamen, wildes Blutkraut, rothe Ochsenzunge, Rothwurz, Rothbeekkraut, Schminkwurzel. Flor. Mai. Jun. Radix extus rubra, intus alba, caulis erectus pedalis et altior. Radix recens rubrum praebet pigmentum et cosmeticum rusticis pueris in Norlandia consuetum. Vid.



Linn. Flor. suec. edit. II. pag. 57. Butyrum rubro colore tinguunt nostrates.

Anagallis arvensis. Gauchblume, rother Gauchheil, rother Meyer, rother Hühnfeldarm, rother Meyer, Corallenblümlein, Hühnertritt, Iochheil, Grundheil, Vernunft und Verstand, Vogelkraut, Sperlingskraut, Kolmarskraut. Floret tota aestate, caulis erectus aut decumbens digitalis, palmaris, ramosus, cuigilant flores hora 8 ad 9 post meridiem et dum pluuiia instat, contrahuntur. Passeres seminibus mirifice delectantur. Iumentorum oculis mederi tradit PLINIUS Libr. XXV. cap. 13. contra vertiginem ouium cum ELLISTO commendauit HUCHELIVS abh. vom Schaafvieh pag. 95. Vid. et SCHREBERS Samml. verschiedener Schriften Vol. II. p. 312 et Vol. VI. p. 427. In Hydrophobia et ab antiquis, et recentioribus laudata fuit. Conf. inpr. BRVCHII et SCHRADERT Disserrt. de Anagallide, quarum prior Arg. 1758 posterior Hal. 1760 prodiit; Verum conquesti alii de inertia plantae, TISSOTVS, HALLERVVS, MVRRAY. Vid. Hui. Apparat. Medicam: Vol. II. p. 7. quid, quaeſo, de planta, quae odorem nullum, et saporem oleraceum, leuiter amarum excitat, expectandum? forsan autem tecta quasi latet virtus et puncta nigricantia transparentia, in foliis copioſe conspicua, peculiare secretionis organon constituere, probabili ratione admittere, et aliarum plantarum exemplo confirmare possumus.

Scandix peccen Veneris. Fl. Maio, semina Aug. maturat. Caulis erectus, palmaris, altior. An haec, analia fuit species, quam ARISTOPHANES Comoed. Archanenſ. Act. II. Scen. 4. edit Aurel. All. 1607. p. 394. et PLINIUS Libr. XXII. cap. 38 commemorarunt, et Prior Euripidi Poetae obiecit ioculariter: Matrem Icil. Eius ne olus quoddam legitimum venditasse, sed Scandicem.

Polygo-

7

Polygonum aviculare. Wegetritt, Vogelwegetritt, Tenne-gras, Wegegras, Blutkraut, Blutgarbe, Sau- oder Ferkelkraut, Wegelauf, Angerkraut, Queckgras, Zehrgras, Tausend-knoten, Unvertritt. Fl. Iul. sqq. agris infestissima caulibus decumbentibus, ramosissimis, palmaribus, pedalibus, licet semina ab aubus appetantur, et in annonae caritate homini-bus quoque inferuant. Caeterum planta, si in humido loco crescit, ouibus est maxime nocua.

Scleranthus annuus. Kleiner Wegetritt, Knauel, Knörich, Knöterich, wild Iohanniskraut. Flor. Iul. Aug. Caulis erec-tus, aut decumbens, digitalis, palmaris, a basi ramosus. Va-porem decocti, cum aceto parati, ore exceptum, vermiculos dentium enecare SCHWENKFELD stirp. Sil. p. 163 potius sine his Odontalgiam curare LINNAEVS Fl. suec. ed. II. p. 145 notarunt; prius fabulosum, alterum maxime dubium.

Spergula arvensis. Spark, Ackerspark, Spurre, Spergel, Nettekamm, Knöterich, Langerknebel, Mariengras, Läuse-gras. Fl. Iul. Aug. Radix tenuis, fibrosa, caulis erectus pa-lmaris, altior. Spergula in arenoso solo coli, et tanquam pa-bularis planta commendari solet. Quaenam autem adhiberi debeat species, dubium videtur. Aruensem commendarunt GLEDITSCHIUS Phys. botan. Abhandl. Vol. II. pagina 283. FOERSTERVS Abhandl. ökon. und technol. Inhalts p. 206. et de eadem scripsit GVNNERVS Flor. Norweg. Part. I. p. 17. In-colae maris septentrionalis in Vestfinmarchia, penuria annonae pre-mente, ex feminibus panem conficiunt succedaneum, atque egestate non affidi semina communia suibus relinquunt. pergit deinde: Sper-gula haec aida a Capris, Oubus, Equis et Suibus, non vero. ut ipse expertus sum, a Bobus appetitur; hinc, si pro bobus laudatur, spargula pentandra erit intelligenda. Aruensem vero lactis prouentum in Vaccis promouere, asserit MATTVSCHKA, et tamen addit:

pabu-



pabularis tideo celebrata *Spergula* est pentandra. Vid. Flor. Siles. Vol. I. p. 407. Vtraque difficulter discernitur; in vtraque folia sunt verticillata, et in aruensi staminum numerus mira variat, in eadem planta plurimi flores quinque ad nouem, paucissimi decem continent stamina, obseruante GVNNERO l. c. SCOPOLI quoque Fl. Carniol. ed. II. no. 542. 5. 7. 8 et 10 numerauit; hinc natus forte auctorum dissensus; pentandram varietatem forte aruensis esse, Ipse LINNAEVS in Mant. plant. altera p. 390 notauit.

Ranunculus aruensis. Stachelhahnefuss, Ackerhahnefuss, Feldhahnefuss. Floret Mai. Jun. Jul. Radix ex tubere fibras emittit, caulis erectus raro pedalis, folia radicalia denius congesta. Radix et semina nocios in C. H. non edunt effectus, foliis vero et floribus, praecipue pistillis, inest acrimonia insignis. Conf. PLENKII Toxicol. pag. 204. GMELIN Pflanzengiste p. 110, et vom Unkraute p. 104. KRAFFT Experimenta cum Ranunculis p. 79.

Lamium amplexicaule. Kleine Taubenessel, Ackernesel. Flor. per totam aestatem, caulis declinatur, dein erigitur.

Antirrhinum minus. Hundschädel, kleiner Dorant oder Orant, klein Beruskraut, klein Sternkraut, kleine Kalbsnase. Fl. Jun. Jul. in primis inter alienam. Radix fibrosa, caulis erectus, palmaris et altior. Philtris inseruuisse, refert SCHWENKFELD stirp. Sil. p. 20. Quis credet?

Antirrhinum aruense. Flor. Jul. Aug. Radix fibrosa, caulis erectus palmaris.

Thlaspi aruense. Gross Täschelkraut. Gross Säckelkraut, Taschenkresse, Bauernkresse, Bauernsenf, Klaffer, Pfennigkraut. Ab Aprili per totam aestatem floret, et seminibus sparsis de novo semper propullulat. Radix fibrosa, caulis erectus, palma-

palmaris, altior. Folia radicalia in rosulam congesta. Lac et carnes ingratum accipiunt odorem, si plantam, alliaceo odore praeditam, Vaccae et Boues deuorant; Oves intactam relinquent. Curculiones et Cimices in fugam coniicere, multi, aet experientia repugnante, asserunt. Vid. Oecon. Nachr. Vol. II. p. 585. et Schwed. Acad. Abhandl. Vol. XXVIII. p. 277.

Thlaspi bursa pastoris. Täschelkraut, Hirtenäschel, Säckelkraut, Dachskraut, Blutkraut, Beutelschneiderkraut. Flor. Mart. et tota aestate. Radix fibrosa, caulis erectus, digitalis, pedalis, folia radicalia in orbem disposita. Boues non facile, Oves autem lubenter, in primis iuniorem deuorare solent plantam. Herba recens, oleosis iuncta, sanat Haematuriam in bo- bus et tauris, si tempestive adhibetur. SCOPOLI Fl. Carn. ed. II. 216.

Geranium cicutarium. Kleiner Storchschnabel, Ackerschnabel, Kranichschnabel, Schierlingsblätteriger Storchschnabel. Fl. ab Aprili ad Iulium. Radix fibrosa, caulis decumbens, magis minusue ramosus. Herba viridis amuleti loco in Scania contra intermittentes aestimatur. LIN. Fl. Suec. ed. II. p. 243.

Trifolium arvense. Katzenklee, Kätzelnkraut, Hasenklee, Ackerklee, Hafsenpfötgen, Hasenkraut, Mützchen. Flor. Iun. Iul. Radix annua, tenuis, fibrosa; caulis erectus, digitalis, palmatis, superne in aliquot ramos diuifus.

Hyoferis minima. Klein Ferkelkraut, klein Kranichkraut, klein Schweinsfälz, Sandendivien. Flor. Iul. Aug. Caules erecti plures ex vna radice surgunt ramosi, nudi, palmares, folia radicalia in cespitem congesta.

Filago arvensis. Ackerruhrkraut, Ackerfitzkraut, Ackerfadenkraut, Gross Schimmelkraut. Flor. Aug. Sept. Radix fibrosa, caulis ramosissimus erectus, palmaris, altior, tomentosus. Bruta intactam relinquunt.



Viola bicolor. Stiefmüttergen, Sorge, Dreyfaltigkeitsblümlein, Ackerveilgen, Je länger je lieber, Garböcklein, Freyfamkraut, wilde Siebenfarbenblume, Hungerkraut, Iesusblümlein, Gewerkblümlein, Tag- und Nachtblümlein. Flor. ab Apr. ad Aug. Rad. fibrosa, caulis erectus, palmaris, altior, ramosus. Pecora non deuorant. Scabiem et caetera cutis vitia sanat, notwithstanding iam SCHWENKFELDIO libr. cit. p. 219. hinc et contra crustam lacteam infantum commendauit STRACKIVS. Vid. Eius Tract. Francof. 1779 edit.

§. III.

Eodem, ac recensitae, modo nocent quidem illae etiam plantae, quae radice repente, perenni praecipue, praeditae sunt, cum vero fixam quasi sedem non teneant, sed vndique excurrent, nouosque semper caules protrudant, amplissimumque spatium occupent, copiosius certe alimentum consumunt, et cerealibus longe magis infestae esse debent. Harum tres commode constitui possunt species. Aliae enim sola radice, aliae et radice, et caule simul, detrimentum adferunt, et quae radice tantummodo infestae sunt, eandem aut annuam, aut perennem possident. Repentes in annuis plantis radices rarius occurrent, et inter Segetes certe vna tantum inuenitur. Scilicet:

Oxalis corniculata. Gelber jähriger Sauerklee mit vielblüigen Stiehlen. Hoher gelber Sauerklee, gelbgehörnter Sauerklee. Quae ex Italia et Heluetia in nostros agros migravit. Fl. Jul. ad Sept. semen Octobr. maturat. Radix repens, stolones emittens, extus purpurascens, fibras crassas ex internodiis spargens. Caulis palmaris, altior, statim a radice ramosus. Planta haec, licet in radice non perfistat, seminibus tamen sparsis

sis quotannis copiose prouenit. Recens et exsiccata commo-
dum praebebat pabulum.

Longe maius autem detrimentum cerealibus inferunt il-
iae plantae, quarum radix repens est atque perennis, propter
ea praecipue, quia non solum cerealibus pabulum auferunt,
sed et aratoribus maximam molestiam adferunt, difficillime
eradicari, et perfecte destrui nullo fere modo possunt, cum et
in partes dissectae, immo exsiccatae, et quasi mortuae visae
nihilominus progerminent, et ex minimo frusto, in agris reli-
cto, noua enascatur, intra breve temporis spatium insigniter
se multiplicanda. Eiusmodi in nostris agris octo inueniun-
tur species, omniumque frequentissima et nocentissima est

Triticum repens. Quecken, Queckgras, Pödengras, Hund-
gras, Spitzgras, Rechgras, Knöpflegras, Tzwecken, Apothe-
kergras. Fl. Maio ac tota aestate; Radix repens, tenuis, teres,
albida, geniculata, cuilibet geniculo insitum tunica vaginosa,
apice bifida, et ex eorum interiori ambitu egrediuntur fibrae
radicales filiformes, ex superiori autem culmi plures, erecti,
duos tresque pedes alti, striati, nodis purpurascensibus insigni-
ti, foliisque gramineis ornati. Non solum longe lateque ex-
currunt radix, sed quoque in minimas partes dissecta luxuriant,
et agricolis eo magis esse debet ingrata, quo magis sub ipsa
aratione multiplicatur; praeterea arida et fere mortua radicis
fragmenta, terra denuo obruta, reuiuiscent facile, et ex nodo
fibris radicales nouas spargunt; hinc etiam agro praecisso ra-
dices rastriis eruunt ac collectas flammis exurunt agricolae,
ne renascantur. Et hic quoque optimus est extirpandi mo-
odus, alii, ab Auctoriis commendati, admodum difficulter
partim adhaiberi poterunt, partim exoptato euentu destituun-
tur, de quibus praecipue conferri merentur HEPPII Encyclop.
Calender de Anno 1778 p. 37 sqq. MÜNCH vom Unkraute
p. 24 sqq. GMELIN vom Unkraute p. 19 et 242. WOLFF



vom Unkraute p. 202. Diurnam radicum in aqua macerationem reliquis omnibus destructionis modis praesferre voluit LÜDERS in der Bestellung eines Küchengartens 2te Aufl. 2ter Brief p. 70. Licet autem tam frugum, quam agrorum pestis sit hoc gramen, vsu tamē et medico, et oeconomico minime caret. Ob demulcentem et resoluentem virtutem radix merito aestimatur a Medicis, herbamque non aliam gratiorem esse lumentis, sive viridis illa sit, sive in foenu siccata, afferuit EHRHART Oekon. Pflanzenhist. Vol. VII. p. 259. Radicem recentem ab equis et bobus audiſſime deuorari GVNNERVS Fl. Norw. Part. I. p. 73. eandemque consuetum Equorum pabulum in Neapolitano territorio constituere FERBERVS; vid. Eius Brief aus Welschland p. 136. a Norlandis paſſim edi Idem GVNNERVS, et exinde panem parari LINNAEVS Amoenit. Vol. III. p. 81 retulerunt.

Ceraſtium aruenſe. Nägleingras, weiss Nelkengras, Herzgras, Herzröfelgras, Ackergras, Harnkraut, Steinbrechweiblein, falscher weisser Steinbrech. Fl. Apr. Mai. Semina Iun. mat. Radix repens, fibroſa, caulis inferne decumbit, dein erigitur, palmaris.

Serratula aruenſis. Distelartiges Schartenkraut, wilde Scharte, Haberscharte, Haberdistel, Ackerdistel, Korndistel, Kleine Margendistel, Saudistel. Flor. Iul. Aug. praeſertim inter Auenam. Radix albida, duos ſaepe pedes longa, descendens et quasi ex capite plures fibras spargens; caulis erectus, tripedalis, altior, angulosus, basi parum aculeatus, ſuperne inermis. Planta aratoribus, propter repentem inprimis radicem, infesta, notante GVNNERO l. c. Part. I. p. 86 diſſicillime extirpanda. Vid. GMELIN l. c. pag. 240, omnemque frigoris virtutem eludens. Seminiibus quoque copioſe ſparſis inſigniter propagatur. Turiōnes et iuniora folia ab animalibus, Quibus praecipue, audie deuoran-

deorantur, adultae autem plantae foliola in spinulam terminata intacta relinquantur.

Sonchus arvensis. Große Gänsedistel, Ackergänsedistel, Sau-distel, Sonchenkraut, grosser Hasenkohl. Fl. Iul. Aug. Radix undiquaque repens, caulis erectus, 3. 4 pedes altus, scaber; denticuli foliorum spina albida terminati. Pabulum Equorum gratissimum esse, et ab Ovibus quoque ac Suibus appeti, nota-uit GVNNER I. c. Part. I. p. 57.

Rumex acetosella. Kleiner Sauerampfer, Spiesampfer, Feld-ampfer, Ackersauerampfer. Flor. Aprili et seqq. Radix filiformis, insigniter repens, caulis erectus et procumbens, palma-ris, saepe altior, superne ramosus; folia radicalia in rosulam congesta; Radix tenerima parcius quidem consumit alimen-tum, quia vero eradicari nullo modo potest, solo etiam attactu dilaceratur, et sic multiplicatur, agris omnino damnosa plan-ta erit.

Equisetum arvense. Ackerkannenkraut, Kandekraut, Zinn-kraut, Rosschwanz, Schaftenheu, Schachtelhalm, Katzenzettel, Katzenwedel, Reibisch, Preibusch, Gänsekraut, Ahnwop, Du-wop, Rohdoot. Nomina haec Equiseto quidem fluiatilis tribuuntur, attamen et arvense iisdem insigniri solet. Aprili, Maio cau-les nudi floriferi, postea foliosi steriles prodeunt ex radice perenni, non tam repente, quam potius profundissime in terram dimissa, quippe eius longitudinem decem et duodecim cubitos saepius superare, vidit MÜNCHHAUSEN Haufsvater Vol. III. p. 182 eademque ex internodis stolones emitit laterales, et in frusta dissecta eodem, ac Triticum repens, modo incremen-tum retinet, et multiplicatur. Hinc Societas Hamburgensis an-1767 praemium promisit ei, qui facillimum tutissimumque in-dicauerit modum, delendi radices et huius et pratenis Equi-seti. Vid. Comment. Lipsiens. Vol. XIII. p. 538. Scripta de huius extirpatione a Societate Amstelodamensi praemio coro-



nata, in Germanicam translata, continentur in BECKMANNI Beyträgen zur Oekonomie. Vol. IX. Nec solummodo radice agris infesta est haec planta, sed noxia quoque animalibus, ob Limae similem caulis asperitatem; hisc plerumque intacta persistit, et si a Vaccis Quibusque, fame coactis, deuoratur, Dysenteriam, Mictum cruentum aliasque morbos producit. Vid. Oekon. Nachricht. Part. 89. pag. 302. Eph. Nat. Cur. Vol. I. p. 521. Equisetum, quod in Islandia crescit, et aude a peccudibus deuoratur, illisque obesitatem intra breve tempus inducit, alia certe est species, nihilominus tamen nocua, quia ab eius vsu insigniter debilitantur. Vid. OLAFFENS Reise durch Island, in der Berliner Samml. von Reisebeschreibungen, Vol. XIX. p. 13. Equisetum pratense foetore suo foenum, cui admiscetur, ita inficere, ut aduersentur animalia, legimus in Abhandl. der Schwedischen Akad. Vol. XXVI. p. 254. Eandem plantam Vaccas, in Hollandia indigenas, sine noxa comedere, si vero ex Frisia adductae eandem deuorant, inde marescere, et lenta tabe perire, retulit BIDLOO in Diss. de Re Herbaria, edita cum Commelinii Catal. Plant. Holland. p. 13, an Suibus pabulum sit vere innoxium, non consentiunt Oeconomii.

Convolvulus arvensis. Ackerwinde, Kornwinde, Kleine Winde, Wegewinde, Bede- oder Pätewinde, Erdwinde, Sandwinde, Teufelsdarm, Schellen, Kleine Glocken, Windglöckchen. Fl. Iun. Iul. in agris praecipue arenos frequens, et frugibus pluuioso praesertim coeli statu molesta; tunc enim et radix copioiores emitit stolones, et caulinuli insigniter elongantur, atque sic dupli modo noxam infert. Quatenus haec et sequens planta caulinulis suis vicinas plantas arripiunt, atque strangulant, in Secunda Sectione notabimus, hic modo moneamus, radicem difficillime exstirpari posse, quia illa admodum longa et ramosa est, profunde in terram descendit, ob teneri-

teneritudinem facile dilaceratur, et in frustulis minimis vegetationem continuat. Pororum auxilio extirpationem insti- tuendam esse, quippe qui effodiunt, et avide deuorant radicem, nonnulli suadent. Vid. Oeon. Nachr. Part. 89. p. 323. Verum et horum irritus erit labor. Lacte acri scatet planta, et aluum mouet, hinc forte nec Quibus grata erit.

Lathyrus tuberosus. Knolliche Platterbse, Erdnuss, Acker- nuss, Saubrod, Schweinbrod, Sandbrod, Erbelnüsse, Knollwurz, Erdmäuschen, Erdfeigen, Erdeicheln, Erdmandela. Flor. Iun. Iul. Radice repente ac caule huiusque claviculis, quibus alias amplectitur plantas, vti Convolvulus, agris est infestus. Radix crassa, oblonga, tuberosa in inferiori parte longam tenuemque, et iuxta caulis exortum plures eiusmodi fibras emittit, quibus oblique serpentibus alia adnascentur bruno colore tincta tubera, eademque a filis separata nouas continuo producent fibras, et sic multiplicatur, atque in agris frumentaceis, vti Solanum tuberosum in aruis cultis, insigniter luxuriat. Licet autem Cerealibus detrimentum adferat planta, eiusque propagatio a LÜDERO variis de caulis dissuadeatur, vid. Briefe über den Küchengarten Vol. II. p. 208, aestimari tamen, eiusque cultura in pratis commendari solet. Herbam recentem et exsiccatam pecora audie deglutiunt, et Quibus praecipue ob purificarem virtutem egregie conduceit. Radicis quoque tubera in Belgio, vid. BRYANTS Verzeichniß der zur Nahrung dienenden Pflanzen, Vol. I. pag. 51. et in Sibiria, teste GMELINO, Sibir. Reisebeschr. To. I. p. 381 ab hominibus comeduntur, et Solano tuberoso substituuntur, immo praeferuntur, quoniam secundum experimenta, a SKYTTIO instituta, plus farinae Lathyrus, plus vero aquosi principii Solanum contineat, vid. Schwed. Acad. Abhandl. Vol. XXXV. p. 141. Vtrum planta, qua veteres Britanni, minori etiam copia assumpta, sitim atque famem extinguerebant, vt refet Dio Cas-



CASSIVS; vid. Xiphilini e Dione Excerptae Hist. ed. Stephani 159. fol. p. 340, eadem fuerit, quae a Scottis montanis, qui priscorum victimum et mores retinuerunt, ad famem sitimque mitigandam hoc etiam tempore masticari et *Karemyle* nominari solet, ut SIBBALDVS in Scotia Illustrata Part. I. Libr. I. p. 38 existimat, concedi forte, illam vero Lathyrum hunc esse, assumi non poterit, cum Karemyle Orobi potius, quam Lathyri speciem esse, ex ipsa a SIBBALDO data iconে elucescit, quippe caulis non scandens, sed erectus delineatur. Conf. Gazette Litter. de Berlin 1775. no. 586. et Berliner Samml. Vol. VIII. p. 589. Radicis puluerem cum melle mixtum, et ab Apibus haustum, diuturnum iisdem somnum inducere, legimus im Hannov. Magazin 1773 part. 58. Vid. et Wittenberg. Wochenblatt 1773. pag. 301.

§. IV.

Inter plantas parasiticas, quarum radix alius plantae radici inficit, et utraque firma copula necatur, commemorari praeципue debet *Orobanche maior* dicta, quippe quae antiquissimo iam tempore sua nocua virtute, qua frugum et leguminum¹⁾ in primis alimentum ad se trahit, notissima, agricolisque maxime infesta fuit, et licet eadem in exterorum quorundam agris frequenter²⁾ admodum, in Germania autem rati,

¹⁾ Licet ab Orobo, cui frequenter inficit, nomen acceperit, et hinc quoque germanice *Ervenwürzer* appellata fuerit, alias tamen quoque inhabitat plantas, ut Onopidem Vitem, Prunellum sylvestrem, varias Cardui species, Genistam, unde et Rapum Genitiae a LOBELIO Icon. II. pag. 89 dicitur.

²⁾ Omnim forte frequentissime in Italia habitat, quod vel iude colligimus, quoniam tali de eadem extirpanda præ ceteris solliciti fuerunt. In Anglia eandem inter segetes inuenit RAVVS. Vid. Eius Hist. Plantar. To. II. p. 1227. in Helvetiae agris abunde HALLERVVS, vid. Hist. stirp. Helvet. To. I.



rius,) et in Saxonia fortasse nullibi inueniatur, alia tamen subsist
ratio, cur singularem hanc plantam adducere voluimus. Est
enim Orobanche, si Veterum scripta euoluimus, nomen valde
ambiguum, et apud nonnullos plantam significat, segetibus
nostris admodum familiarem. Quo autem veram a falsa co
certius distinguere valeamus, iuuabit sane *Orobanches maioris*
aliqualem praemittere descriptionem. Radix eius crassa est,
tuberosa, squamosa; caulis erectus simplex, palmaris, altior,
leuiter pubescens, squamis similibus ex albo flavescentibus
vestitus; flores solitarii, ad alas squamarum sessiles, spicam
longam constituant; calix pubescens in duo longiora et duo
breuiora segmenta diuisus; corolla extus villosa, ex albido,
purpureo et flavo colore tincta, bilabiata, galea obtusa cre
nata, barba trifida, segmento medio productiore; filamenta
didynamia, inflexa pubescentia, galeam non superantia; sty
lus pubescens, stigma bifidum nigricans; capsula ouata, calice
et corolla marcescente cincta, vniocularis, semina copiosa.
Planta odore Caryophyllos aromat. refert. An haec, nunc
descripta, an alia sit planta, a Veteribus Orobanche dicta, non
difficile determinari poterit, si modo proprietates, ipsi attri
butae, cognitae sint. Repetamus itaque duos THEOPHRA
STI

To. I. p. 130 in Carniola SCOPOLI Flor. Carniol. ed. II. no. 782. et in
Silesia MATTVSCHKA Flor. filef. To. II. p. 73 in aliis regionibus non
indigena, et LINNAEVS scribit: *exteriorum agris inuija, nobis vix
metuenda.* Vid. Flora Oecon. in Amoenit. Acad. Vol. I. p. 525. et ta
men recensuit eandem ut Scaniae indigenam in Fl. Suec. ed. II. p. 219.

) Circa Lautern in pratis siccis, pomariis et agris eandem inuenit. POLL
CHIVS. vid. Eis Hift. Plant. in Palatinatu Elector. crescentium To. II.
p. 200, *Orobanchiem laeuem* in boro Academico, et quidem cum Loni
cera Xylostio copulatam omni biennio florentem vidimus; unde allata
fuerit, ignoramus; tantem etiam proflus euauit. Vid. Neuer Schau
platz der Natur Vol. VIII. p. 293.



STI ERESII locos, in quibus de hac egit. Horum alter exstat Libr. VIII. c. 8. Hist. Plant. in quo de illis egit plantis, quae inter alias nasci solent et scripsit: Quaedam manifesto pluribus sunt communia, sed quoniam inter nonnulla potissimum bene valent, illorum propria videntur, veluti Orobanche Orobi, Aparineque Lentis, ut illa quidem Orobun vincit propter imbecillitatem, Aparine vero inter Lentis bene nutritur et Orobanches quodammodo similis est, propter ea, quod totam aggreditur plantam, et velut nexu quodam detinet, strangulat enim pari modo, unde et nomen accepit. Alter locus reperitur Libr. V. cap. 22. de Causis Plantar. Neces vero et aliis ab aliis accidunt propriae, etenim Orobanche vocata Orobun necat arripiendo et amplectendo. Eadem fere repetit PLINIVS Libr. XVIII. cap. 17 scribens: Est herba, quae Cicer enecat, et Eruum, circumligando se, vocatur Orobanche, et clarus adhuc GALENVS dum dicit: Aparinem, quae plantae Lentis dum assurgit, undique implexa, ipsam strangulat et suffocat, non aliter quam Eruum Eruangina, quo nomine intellexit Orobanchem. Vid. de Alimentor. Facult. Libr. I. c. 37. et de Medicam. Simplic. Libr. VIII. Atque propter hunc ipsum, quo amplectendo strangulat, modum hanc a vera Orobanche differre, facile cognoscimus, et eo certius intelligimus, si ea, quae hisce in locis porro addidit THEOPHRASTVS, simul consideremus; namque in priori pergit. Quod autem statim a radice Cumino et Foenugraeco subnascitur, Limodorum dictum, unicule, non absimili cauli, sed longe brevius est, superne instar capitii quiddam habet, radicem vero subrotundam; et in altero scripsit: Limodorum interimit Foenugracum radici prope adnascentes; ex quibus abunde elucescit, Limodorum a THEOPHRASTO appellatam fuisse plantam, quam DIOSCORIDES et Veterum alii, aequo ac recentiores Orobanchen nominarunt. DIOSCORIDES frequentem dedit descriptionem: Cauliculus est ruber, duos fere dodrantes altus, quoad folia subpinguis hirsutus ac tener floribus subalbidis, aut in luteum vergentibus, radix subest digiti

giti traxit, inter legumina quaedam si nastatur, eadem suffocare creditur, unde et nomen habet. Vid. Mat. Med. Libr. II. c. 172. et PLINIVS Libr. XXII. cap. 79 scripsit: *Orobanchem appellamus necantem Eruum et legumina, alii Cynomorion eam appellant a similitudine canini genitalis; caulinus est sine sanguine, foliis, rubens et s. p.* Quaenam autem sit illa planta, quae circumligando plantas necat et a THEOPHRASTO Orobanche dicta fuit, ingens apud Auctores animaduertitur dissensus, cum plures sint, quae eodem modo detrimentum adferunt. Nonnulli hac voce Aparinem intelligere voluerunt. Ita apud HESYCHIVM legimus: *Aparine est quoddam plantarium, alii Orobanche vocant.* Verum supra citato loco de Orobanche et Aparine tanquam diuersis plantis locutus fuit THEOPHRASTVS. Alii cum CAMERA-
RIO Hort. Med. p. 73 Helxinem, Cissampelos dictam, quae est secundum C. BAVHINI Pinacem p. 294. Conuoluulus aruenis, pro Orobanche Theophr. venditare voluerunt; nullam vero proprius accedere plantam, quam quae Aphaca vocatur, exilimatis BODAEVS a STAPEL in Notis ad Theophr. p. 952. Cum autem THEOPHRASTVS varias alias, inter segetes crescentes, plantas nominauerit, Cuscutae vero nullam plane mentionem fecerit, eademque similem crescendi modum feruet, hanc probabili, ut nobis videtur, conjectura cum MARANTA in Meth. cognoscendi simplicia L. I. cap. 8. p. 55. CAESALPINO Libr. de Plantis Libr. VIII. cap. 41. C. BAVHINO in Pinace. p. 219. RAIO in Hist. Plant. To. II. pag. 1904. aliisque admittamus, licet contrarium ex ipso THEOPHRASTO declarare voluerit WEDELIVS in Diff. de Cuscuta p. 53 seqq. rationibus sequentibus permotus: Orobanche Theophr. Orobo tantum propria est, Cuscuta omnibus communis; Orobanchem circumligando saltem necat, Cuscuta plantas vicinas non solum circumligando, sed et innascendo laedit; Orobanche Apaines quodammodo similis, Cuscuta non item et quae sunt alia;



namque, ut hoc vnicuni modo moneamus, ab Orobō quidem Orobanchē nominasse THEOPHRASTVM, attamen eandem quoque Fabam et Cicerem, se circumPLICANDO, necare SOTION tradidit, qui etiam eandem Leguminum Leonem appellauit, vid. Geoponicor. Libr. II. c. 42. ed. Needh. p. 66. vti Leonina herba ab HERMOLAO et teste RVELLIO in Hist. stirp. Libr. II. c. 30. p. 326 a Rusticis in Gallia Taenia nominatur, et BODAEVS I. c. p. 952 refert: Italos eam herbam Lupum vocare, quod vicinas deuoret plantas, earumque subtrahat alimentum, qua de causa rustici nostri malam herbam vocare solent. Praeterea Orobanche vera, etiū iconem exhibuerunt DOD. Pempt. IV. L. III. c. 23. CLVS Hist. Plāt. p. 270. LOBEL Icon. II. p. 89. MATTH. in Dioscor. Libr. II. cap. 136. p. 409 aliique et inter recentiores RIVINVS in Monop. irreg. Tab. 88. singulari proprietate cum Cuscuta conuenit et hinc quoque AMATVS LVSTANVS in Dioscoride, ab Ipso edito, Cuscutae effigiem addidit, papillis scilicet, quibus aliis vegetabilibus adhaeret et nutrimentum capit, atque propterea parasiticarum subterranearum familiam in duas classes diuidit GVENTARDVS, vna scilicet erit illarum, quae inferiore caulis extremitate plantae nutritis radicibus adhaeret, ad alteram vero eae referenda erunt, quae papillarum beneficio adnectuntur, quales etiam Orobanche possidet. vid. Acad. Reg. Paris. 1746. p. 192. Et cum nostram plantam ἀπὸ τῆς λύπης h. c. famem adserens, Limodorum appellauerit THEOPHRASTVS, hoc adaequatum nomen potius retinere recentiores debuissent, Frugum enim alimentum, vt scribit DODONAEVS I. c. ad se trahit, ipsaque et extenuat, et incrementum sumere perfecteque adolescere non sinit; atque hinc partim publica lege, hanc in alias agrum serere, vetitum, partim, quia in Hetruria copiose luxuriat, eandem edictis publicis prescribere, necesse fuit. Vid. HALLERI stirp. Heluet. Hist. To. I. p. 129. Varia, ast superstiosā, remedia contra eius exortum

tum commendantur a SOTIONE in Geopon. I. c. certiora et efficaciora extirpationis media docuerunt MICHELLI in Relazione dell' Erba Orobanche, Firenze 1723. 8. et dein aliquoties edita; atque LAPI in Metodo sicuro di distruggere Succiamelli, Firenze 1767. 8. In huius enim plantae extirpatione omni modo laborandum esse, merito existimarent Clar. illi Viri, licet Cel. GLEDITSCHVS in den vermischten Phys. Bot. Oec. Abh. Vol. III. p. 172 afferat, eandem lubenter deuorare pecora, atque SCHREBERVS in Eius Samml. von Cameral-schriften Vol. III. affirmet, in illis etiam locis, in quibus crescit, nullum aliis plantis damnum adferre. Ponamus etiam ex eius esu nullum in pecora redundare detrimentum, intactam tamen eandem relinquere plantam, SCHREBERVS concedit; admittamus quoque Vaccas, ea degustata, statim Taurum adire, atque hinc Toram a pastoribus dictam fuisse, vt retulit BODAEVS I. c. nihilominus tamen respectu plantarum, quibus mediante radice sua, huiusque papillulis firmiter adhaeret, nocentissima erit, etiam si caulis, vt SCHREBERVS afferit, breui tantummodo tempore perduret; radix enim supermanet, eademque succos semper insugit, atque hinc probabili conjectura GLEDITSCHIVS I. c. existimat plantam, quam nomine *Malum Henrici* adduxit CONR. GESNERVS hanc vel aliam Orobanches speciem esse. Ita enim Ille scribit: *Prouenit apud nos noxia quaedam planta, qua ipsa non solum boves abstinent, sed etiam gramine circum circa nascente, licet eodem equi vestantur. Rustici apud nos Malum Florem, alii Malum Henricum appellant, caulis ei albidus, pedalis, flores hirsuti purpurascentes, in spicam congesti, semina rotunda instar Milii, radice albissima, nodis quibusdam exasperata et veluti squamoſa.* Vid. Eius Hist. Animal. Quadrup. Viuipar. Libr. I. p. 41. hancque conjecturam eo lubentius admittimus, quia etiam BODAEVS I. c. scribit: *eadem de causa, quae scilicet aliis nocet plantis, Orobanchen rustici Malum florem vocare solent;*



lent; eademque, teste MARANTA libr. cit. *Nega* vulgo, qua-
si Necam dicere vellent, appellatur. Germanica vltata no-
mina sunt: Sommerwurz, Sonnenwurz, Schmeerwürz, May-
würz, Ervenstrang, Ervenwürger, Hansmann, böser Heinrich,
Löwenschwanz.

THESES

A

CL. CANDIDATO AD DISPVVTANDVM PROPOSITAE.

Non dantur limites inter corpora trium naturae re-
gnorum.

Potulentorum abusus humores non fluidiores reddit, sed
spissiores.

Quae relaxant solida, quandoque optima roborantia.

Venaefectio et debilitat et roborat.

Natura optima Vulnerum medicatrix.

Febris idiopathica remedium est non morbus.

Sit inflammationis sedes in vasis, sit in contextu cellulo-
so, Medicus clinicus non curet.

Crusta sic dicta inflammatoria est effectus inflammationis
et Lympha coagulata.

VI 216

5. + 24. Jan 8:20

23 = \bar{z}

39 = t.



vd 18

TA → 0

VD 77

I
04.2007 8d,



DE
P L A N T I S
S E G E T I I N F E S T I S
 PART. II. SPECIALIS SECT. I.

Q V A M
 P R A E S I D E
D. GEORGIO RVDOLPHO BOEHMERO

THERAPIAE PROF. PVBL. ORD. ACADEMIAE SENIORE
 PHYS. PROVINC. SOC. OEC. LIPS. SODAL.
 ET H. T. ACAD. RECTORE

P R O G R A D V D O C T O R I S

DIE XXV. MÈNS. JANVARII MDCCCLXXX

H. L. Q. C.

PVRLICE DEFENDET

CAROLVS GOTTFRIED BAVERNSTEIN

ZWICKAVIENSIS

MEDICINAE CANDIDATVS.

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

